

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Diuicie i  
cum fontibus proximo et primo

Diuicie si affluent,  
nolite cor apponere.

Glossa Augustini:  
Ille ergo qui non habet, non ambiat; hic qui habet, non superbiat.  
Et

non dicit nolite habere, sed cor apponere.  
Non enim dampnat diuicias, unde mereamur celum,  
sed cor appositum, quod scilicet non expendit sed recondit.

Augustinus super Psalmo LXI.

Ne vero solis pauperibus hoc dicere videatur, subdit:  
Et, o vos qui habetis,  
divitiae si affluent (Ps. 61:11),  
id est si exundant, tanquam de pleno fonte currant.  
Nolite cor apponere (Ps. 61:11),  
id est nolite sperare in incerto divitiarum (*I Tim.* vi).  
Hoc divitibus dicitur.  
Ille ergo qui non habet, non ambiat; qui habet non superbiat.  
Et notandum quod

non dicit nolite habere, sed cor apponere.  
Non enim dampnat divitias, unde mereamur coelum,  
sed cor appositum, quod scilicet non expendit, sed recondit.

Petrus Lombardus, *Commentarius in Psalmos Davidicos*,  
61.10 (PL 191, col.567C).

**Nolite sperare in iniquitate.** Augustinus.  
Qui non habetis. quasi necessitate rapturi. Hec diuitibus.  
ille cui non habet non ambiat. hic qui habet non superbiat.

*Glossa ordinaria, liber psalmorum, 61 interlin.* (Biblia Latina  
cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

**Nolite cor apponere.** Augustinus. Non dicit nolite habere.  
non enim dampnat diuitias unde mereamur celum.  
sed cor appositum. quod non expendit sed recondit.

*Glossa ordinaria, liber psalmorum, 61* (Biblia Latina  
cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).